



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. An & quando beneficia sæcularia conferri possint Regularibus, & regularia sæcularibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

fundationi talis conditio inserta fuit; vel quod putent Pontifices, ad studia litterarum, & Clericis convenientes mores inducendos multum, pro honore Ecclesie, meliorem nobilium indolem excitari, si Cathedralium Ecclesiarum Dignitates aut Canonicatus solis illis pateant.

§. V.

An & quando beneficia secularia conferri possint Regularibus, & Regularia secularibus?

EX dictis jam patet, quod secularia beneficia ordinariè secularibus Clericis, Regularia verò Regularibus conferri debeant, neque enim convenit, ut ait Pontifex in *Clement. 1. de Elef.* homines disparis professionis, vel habitus simul in eisdem Ecclesijs sociari, posse tamen non tantum per plenitudinem potestatis suæ Pontificem secularia conferre Regularibus, & de facto sæpè Episcopatus conferri Regularibus, & secularibus, sed fieri etiam posse, ut quæ ex instituto suo regularia fuerunt, per continuum & pacificam 40. annorum ab uno, vel pluribus secularibus, beneficij talis habitam possessionem tanquam rectoribus in eo institutis, vi præscriptiois secularizentur, ex *c. Cum de beneficio s. h. i.* colligitur, si eo animo ac intentione collatum fuerit tale beneficium, ut possideatur à suo seculari Beneficiario, ut seculari: probabile tamen etiam est, quod si de anteriore statu beneficij nihil certè sciatur, utrum regulare scilicet ex sua institutione fuerit, quia nonnunquam per Regulares, non nunquam per seculares administratum fuit,

ultimus beneficij status attendi debeat, ad discernendum seculare num sit, an regulare, & juxta hunc conferri debeat.

S E C T I O V.

De pluraritate Beneficiorum compatibilium, & incompatibilium, secularium, & regularium.

§. I.

An licitum sit plura beneficia simul obtinere, & retinere, ac qualia?

CERTUM est, alia beneficia esse compatiblea, quæ simul retineri possunt, alia esse incompatiblea, non quidem, quasi talium beneficiorum retentio esset intrinsecè mala, quod dici non potest; cum in certis quibusdam circumstantijs, & legitimâ dispensatione suppositâ, talis retentio licita nonnunquam esse possit, sed quod vel ex jure naturali, & Divino, vel ex jure communi Ecclesiastico, vel ex consuetudine, statuto, fundatione &c. continuam residentiam personalem requirant, qualiter incompatiblea beneficia sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, duæ Parochiæ, & similia curata beneficia, duæ Dignitates sive Personatus, duo Canonicatus residentiam personalem, & continuam requirentes, beneficia uniformia sub eodem recto, sive in eadem Ecclesia, quæ scilicet erecta sunt in eadem Ecclesia, ad eundem finem, & idem prorsus onus, ac officium eodem tempore explendum &c. Quænam autem in specie incompati-